

26)
2

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
FORTVNA ET PRVDENTIA MEDICA

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO
D O M I N O
C A R O L O A V G V S T O
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE REL
AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
P R A E S I D E
CHRIST. GODOFREDO GRVNERO

MED. DOCT. SERENISS. DVC. SAXO-VINAR. ET ISENAC
A CONSIL. AVL. BOT. ET THEOR. PROF. PVBL. ORD
FACVLT. MED. ASSESS. ACAD. IMPERIAL. NAT. CVR. ET
ELECT. MOGVNT. SCIENT. VTIL. SODALI

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS

D. XXII. OCTOBR. MDCCCLXXVI

HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS DEFENDET

AVCTOR
IOANNES HENRICVS LVCAS
SALZVNGA-MEININGENSIS.

I E N A E
LITTERIS STRAVSSIANIS

CHIRURGIA ET PHARMACOLOGIA
DE
FOLTVNA ET TVRIBVNTIA MEDICA

RECTOR AC ACADEMIAE HONOR. DE WINDO
SERENISSIMO LUCO ACDVINO

D O M I N O

C A R O L O A L V E R T O

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
P R A E S I D E

CHRIST. GODOFREDO GERVIERO

MED. DOCT. SERENISS. DUC. SAXO-VINAE ET ISINAE
A CONSIL. VALL. ROT. ET THEOR. PRAEF. HABET. ORD.
HABUIT. MED. ACADEMIAE IMPERIALI PARS. ET
HABET. ACADEMIAE SODALIT. VII. SODALI

P R O G R A D V D O C T O R I S

SVM. DISQVE IN MEDICINA HONORIBVS

RITE CAESARIS

D. XVII. OCTOBR. CLASSECVL. XVIII.

FORI ANNE ET POMERANIS, DEINDET

RECTOR

IOANNES HENRICVS LVCAS

SALZBURGA-METROPOLITANVS

I E N A E

LITTERIS STRAVSSIANIS

V I R O
PRAECELLENTISSIMO CLARISSIMO
ET PERQVAM STRENVO
WOLFG. EM. VOLCKARDT

SERENISSIMAE DOMVS MEININGENSIS A CONSI-
LIIS ET PRAEFECTVRAE SALZVNGENSIS
PRAEFECTO.

PATRONO ET FAVTORI
PIE COLENDO.

NEC NON
C O N S V L I B V S
ATQVE
S E N A T O R I B V S
CIVITATIS SALZVNGENSIS
MERITISSIMIS
PATRONIS OPTIMIS

WIR O

FRACCELLANTISSIMO CLARISSIMO

ET FERVAM STRENUO

WOLFFE DE KOLCKREDT

SECRETISSIMAE DOMINAE ALEXANDRINENSIS A CONSULE

ITIS ET LEGATIONIS ALEXANDRINENSIS

REACTORIS

PATRONO ET FAVORITO

THE COLEBO

NEC NON

CONSULIBUS

VICIBUS

SENATORIBUS

CIVITATIS SALZBURGENSIS

MERITISSIMIS

PATRONIS OPTIMIS

DENIQVE

V I R O

PRAECELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

IOANNI FRIDER. GLASER

MEDICINAE DOCTORI PRAEFECTURAE ET CIVI

TATIS SVHLANAE PHYSICO ACADEMIAE IM

PERIALIS NATURAE CVRIOSORVM BAVARICAE

ET MOGVNTINAE SCIENTIARVM VTILIVM

COLLEGAE

PATRONO ET FAVTORI

SVMMOPERE DEVENERANDO

HASCE

PRIMITIAS ACADEMICAS

D. D. D.

ATQVE

SERESQVE SVAS

OMNI

QVA PAR EST

HVMANITATE AC PIETATE

COMMENDAT

COLLEGE

PATRONO ET FAVTORI

IOANNES HENRICVS LVCAS.



PROOEMIUM

Euoluenti mihi nuper HIPPOCRATIS Coi monimenta, quibus vera doctrinae medicae semina contineri aiunt, qui acutioris in indagando naris sunt, occurrit peropportune hoc effatum *) praeclarum et nostra adhuc aetate verissimum:

Qui sic medicinam nouit, minime fortunam respicit aut expectat, sed et citra fortunam, et cum fortuna, recte faciet. Constans enim ac firma est tota medicina, et doctri-

A

nae

*) De Loc. in Hom. §. 58. p. 399. T. I. ed. LIND.

nae optimae in ipsa compositae, minime fortuna egerè apparent. Nam fortuna sui iuris est, et nullius imperio subest, neque optantis est ad ipsam peruenire. Scientia vero imperata facere cogitur, et facile est, ipsam feliciter adsequi, si quis sciens uti velit. Deinde vero quid opus est medicinae fortuna? Si enim morborum medicamenta clara sunt et manifesta, velut equidem arbitror, non exspectant sane fortunam ad sanandos morbos, siquidem sunt medicamenta. Si vero cum fortuna exhibere ipsa prodest, non magis medicamenta, quam ea, quae non sunt, faciunt. Quicumque vero fortunam ex medicina aut alia quapiam arte expellit, dicitque eos, qui probe rem aliquam sciunt, fortuna non uti, is contrarium mihi iudicare videtur. Mihi enim soli hi fortunate adsequi, itemque infortunate non adsequi videntur, qui recte quid, et male facere sciunt. Fortunate enim adsequi, est recte facere; hoc autem qui sciunt, faciunt. Non adsequi autem hoc est, si quis non sciat, hoc non recte faciat. Indoctus autem qui est, quomodo fortunate adsequi possit? Si quid enim et-

iam adsequatur, non memorabilem sane successum habebit. Qui enim non recte quid facit, non fortunate adsequi poterit, cum reliqua, quae aequum est facere, non faciat.

Ex his colligitur, diuinum senem aut quisquis auctor libelli est, vere naturaeque rei perapposite statuisse, bonum fortunatumque medicum futurum neminem, nisi qui litteras et disciplinas medicas rite didicit, et vbi ad aegrorum lectulos ventum est, doctrinam singulis morbis bene accommodare nouit, non nomina morborum, non pyxides et medicamentorum farraginem sufficere, parum aut nihil valere casum fortuitum atque opinionem vulgi ad medici boni dignitatem et consequendam, et integram seruandam; contra infelicem futurum, cui haec ingenii doctrinaeque medicae bona defint, et etiam si interdum salus aegri reddatur, illud non arti, sed benignitati morbi et naturae aegri deberi; hinc cauendum videri medicum, qui tabernam medicamentariam, tonstrinam, sutrinam vel ouile olet, quia quod quis ignorat, nec habet, nec inuenire, nec adhibere potest, et poetae elogium,

Quot Themison aegros autumnis occiderit uno

illi accinere aequum est. Neque tamen sperendam adeo fortunam esse, quia medici officia sine hac dextre obiri non possint.

In quo quia etiamnum delinquitur, et multi sunt, qui medico optimo detrahere se posse putent, si fortunam ei adesse aiant, scientiam negent; operae pretium esse duxi, hoc potissimum argumentum mihi sumere, et, quam qualemque *fortunam medicam* esse statuam, quid in hanc *res externae* valeant, edisserere. In his vero principem locum occupare videtur *prudentia medica*, quia sine hac nec ingenii acumen, nec doctrinae praestantia, nec morum castimonia, nec religionis vis, vlla sunt.

Qua de re placet vtrumque coniungere, et medicorum oculos docere, quam male intelligant, qui bonus malusue medicus habendus sit: Quos ego, quia haud raro sibi soli sapiunt, *moneve *) possum; corrigere non possum.*

DISSER-

*) Vide, si placet, locum AVGVSTI ap. MAEROR. Saturn. II. 4.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

FORTUNA ET PRUDENTIA MEDICA

§. I.

Varia fortunæ vis et potestas est. Multis *) enim idem, quod *fatum*, esse videtur, *necessitas rerum omnium actionumque*, quam nulla vis rumpat; aliis vero, quod *astrorum coitus*; aliis, quod *casus caecus et fortuitus*, ideoque nec in eam ars et doctrina humana quicquam valere creditur, siquidem ea, quæ fortunæ **) debentur, nulla hominum prudentia fiunt, sed ita eueniunt, ut aliter euenire non possint. Hinc TULLIUS ***): *Quid est aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid euentus, nisi cum sic aliquid cecidit, sic euenit, ut vel non cadere ac euenire, vel aliter cadere, atque euenire potuerit.* Alii denique fortunam sic definiunt, ut exinde facile intelligas, plurimos hominum ne nosse quidem, quid statuunt, et etiam si minus commode verba faciant, tamen acriter de verbis disputare, ut sapere videantur.

§. II

Quæ opinionum diuersitas diuersam fecit fortunæ medicæ definitionem. Etenim tantum non omnes, ubi eam medico dant, caecum, brutum et insanum aliquod fatum vel

A 3

casum

*) SENECA Quaest. Nat. II. 36. seq. p. 632. ed. Lips.

**) PLATO in Men. p. 427.

***) De Diuinat. II, 6.

casum fortuitum, opinantur, eique omnem artis suae ac scientiae vim denegant, sic, ut cum SENECA *) ratiocinari, quam verum confiteri malint. *Aut futurum est, aut non. Si futurum est, etiam si susceperis vota, fiet. Si non est futurum, etiamsi non susceperis vota, non fiet.* His vero ratiociniis confisi existimant, rem omnium optime esse transactam, neque cogitant, nihil temere et indicta causa esse statuendum, sed vna publice profitendum **), *vota* (artem et medicamenta) *proficere, salua vi ac protestate factorum.* *Quaedam enim a diis immortalibus ita suscepta relicta sunt, ut in bonum vertant, si admotae diis preces fuerint, si vota suscepta,* (si medicamenta, morbo contraria, dextre adhibita). Tunc certe, me quidem iudice, quis aeger non forte fortuna, sed scientiae medicae beneficio e vitae periculis mortisque faucibus eripietur, et ceterae *res externae* ita accident, ut salus eius desperanda non sit. Qua de causa hanc demum *fortunam medicam* esse censeo, si qui medicus, artis suae peritus, praesentis conditionis futuriue euentus prouidus, propositi ex scientia tenax, agit, quae artis sunt, neque ei molienti aeger vel amici resistunt. Tunc mehercle mira omnium quasi rerum in salutarem euentum adest conspiratio, et, fortuna ***), duce, scientia arbitra, verus vitae necisque imperator medicus esse debet. Quae si tollis, fortunam ipsam, quam

*) Ib. c. 37. p. 633.

**) L. et p. cit.

***) Cf. HIPPOCR. De Arte §. 5. p. 3. seq. T. I. vbi plurima aduersarium, omnia fortunae referentium argumenta bene confutantur: ΚΝΙΡΗΟΦ Diff. Exhib. Cogitat. circa adagii valorem, nouo med. nouo opus est coemeterio p. 16. sequ.

quam vulgo in medicorum ignominiam adferunt, tolli necesse est.

§. III.

Ex his elucet, medicum fortunatum fore neminem, nisi quem *scientia* et alia omnia, quae paullo post singulatim censebimus, ad beatam artem iuuant. Si enim verum est, vsum et experientiam non sufficere ad artem aliquam perite scienterque obeundam, nisi superaccedat ingenii vis et doctrinae quaedam praestantia, id certe cum maxime in medicina locum habere debet, quoniam vnica morbi causa saepenumero latet, nec sensibus obuia est; quam eruere ac inuenire, hoc opus, hic labor est. Quare si quis illam fortunam praeoptet, videat, primum, vtrum *naturam* fautricem in tribuendis animi dotibus expertus sit, nec ne; Quae vbi desunt, manca et imperfecta erit omnis doctrina: vbi vero adsunt, incredibiles in litteris progressus faciat necesse est. Deinde omnem cautionem adhibeat, ne, dum *magistri* eligendi sunt, in thrasones vnguentatos vel mercenarios senes incidat, qui sibi soli plaudunt, ceteros spernunt, multa pollicentur, sed pauca re ipsa praestant; sed nugas, ampullas et sequipedalia verba fundunt, medicinam seculi, quo studiis operam dare coeperunt, identidem repetunt ac declamant, recentiorum inuenta aut ignorant, aut negligunt, quoniam iis fere debentur, quibus nec caput incanum, nec barba promissa inest, at sapientia vegeta, haud spernenda ingenii vis, eruditio omnium seculorum spoliis comparata. Hos venerari ac colere fas est, illos quouis modo fugere; nunquam vero in verba magistri

gistrum iurare. Etenim sub auctore TULLIO non tam auctoritas, quam rationis momenta quaerenda sunt. Quin etiam obest plerumque iis, qui discere volunt, si vehementer alterius opinioni sunt addicti et auctoritati eorum, qui se profitentur docere, quoniam desinunt suum iudicium adhibere, idque caecis oculis, absque ullo veritatis examine, habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum (et dictum) vident.

Hinc multum interest, a pueris et per iustum temporis spatium litteris nauasse operam, sub optimis artis professoribus profecisse, in athenaeo claro enutritum educatumque esse, a philosophia et humanitatis studiis, sine quibus doctum perfectumque medicum putem neminem, non rudem, et in medicinae mysteriis sic initiatum esse, ut ne tandem, ubi maturior aetas successerit, pristinae vitae poeniteat. Haec peraccommodate diuinus senex *):

Quisquis medicinae scientiam sibi vere comparare volet, eum his ducibus voti sui compotem fieri oportet, natura, doctrina, loco studiis apto, institutione a puero, industria, tempore. Primum quidem omnium natura opus est: Natura enim repugnante, irrita omnia fiunt. Si vero natura ad optima viam demonstrat, artis doctrina facile contingit: quam sane cum prudentia sibi comparare oportet, ita, ut a puero institutio accedat, atque id in loco, a natura ad disciplinam apto. Amplius autem et industriam adhibere oportet, eamque ad multum omnino tempus, quo disciplina ipsa insita feliciter et cum profectu fructus suos producat cet.

Deni-

*) De Leg. §. 2. p. 41. et. De Decent. Ornat. §. 3. p. 53. I.

Denique haec cognitio artis ad homines traducenda quasi et applicanda est, ne sterilis esse videatur. In quo demum vera medici vis et doctrina cernitur, quippe non cuius datum est, naturae mysteria reuelare, morbos, in DEMOCRITI quasi puteo reconditos, protrahere, eorumque vehementiam infringere, bonam valetudinem reuocare posse. Quo in negotio perdifficili atque perarduo cum saepe fallantur medici peritissimi, multo magis prouidendum est tyronibus, ne sine doctrina et ingenio ad artis usum accedant, et experimenta per mortes egisse existimentur. Nam fortuna sine his nulla est, et verissima etiamnum PLATONIS *) interrogatiuncula: *Quae actio bona bonum medicum facit? Nonne eruditio?*

§. III.

Proinde cogitanti mihi haec, quae adhuc commemoranda duxi, submirari subit, quid sit, quod plurimi medicorum obtrectatores fortunam ab *litteris* seiungi diuellique posse iactitent. Ut enim iureconsultus bonus nemo esse potest, nisi qui, ubi res forensis agitur, leges et edicta principum perspecta habet ac rite adhibet; mercator nemo, nisi qui artem mercium emendarum vendendarumque callet; ita etiam medicus fortunatus tunc demum habendus appellandusque erit, qui artem medicinalem intime nouit, varias morborum formas, latebras, insidias, probe intelligit, nihil timet, ubi ceteri trepidant atque desperant; nam hostem cognitum quis timeat? Quare nec mirum est, apud veteres HIPPOCRATEM, CAELIVM AVRELIANVM, GALENVM, ALEXANDRVM TRALLIANVM rel. nostra

B

vero

*) In Protagora, ni fallor.

vero aetate WERLHOFIVM, BRENDLIVM, HOFMANNVM, PRINGLIVM, SIMSIVM, STOERCKIVM cet. et ob scientiam multiplicem magnos medicos existisse, et, fortuna duce, artem suam dextre exercuisse. Hos artis antistites et coryphaeos duces sequi, et, quoad eius fieri potest, imitando adsequi, vera laus est. Ceteros vero, qui sine litteris et illotis, quod aiunt, manibus artem tractare vel crudis studiis contra morborum vim contendere gestiunt, quia homines ridiculi sunt, et bonum euentum expectant, ubi ignorant ea, quibus accersitur, fato suo relinquendos et, tamquam medicinae prostibula, amandandos putamus. Etenim *medicina omnium artium praeclarissima est, auctore HIPPOCRATE *)*: *Verum propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, et ob vulgi ruditatem, quod tales pro medicis iudicat et habet, iam eo res deuenit, ut omnium artium longe vilissima censeatur.* Quare non male SENECA: *Infeliciter aegrotat, cui plus periculi a medico, quam a morbo.*

§. V.

Quam fortunam etsi nemo adsequitur, nisi qui disciplinas medicas cognitatas perspectasque habet, negare tamen non ausim, medici boni multum interesse, ut *res externae scientiae dexteritatisque consentiant.* Nam quae fortuna sine his dici cogitariue potest, praesertim cum *spes interdum frustratur, et moritur aliquis, de quo medicus securus primo fuit?* At ubi conspirant, nonne salus aegri certissime speranda est? In his (puto) eminent primum, ut aeger *viribus sit, nisi integris,*
(id

*) De Leg. §. I, p. 40.

(id quod propter valetudinem velle nefas est): certe iis, quae sufficiant ad periculi vim abigendam. Praestat enim has videri nimias, quam prostratas: Illas varia medendi via et ratione imminuere possumus, has difficillime medicina erigere ac sustentare. Deinde non minima fortunae pars est, *in tempore vocari medicum*, quia, vt recte poeta *),

Veteri post obruta morbo

Corpora, paeonias nec quicquam admoueris herbas;

Vlcera possessis alte suffusa medullis,

Non leuiore manu, ferro sanantur et igni,

Ne coeat frustra mox eruptura cicatrix.

Ad viuum penetrant flammae, quo funditus humor

Defluat, et vacuis corrupto sanguine venis

Exundet fons ille mali, truncatur et artus,

Vt liceat reliquis securum degere membris.

Nam naturae quasi lege sic constitutum esse videtur, vt, nisi anguem in herba iugulemus, magna cognitione ac opera opus sit ad tetram morborum cateruam debellandam. Multos periisse noui, qui, si medicum maturius accersissent, salui atque incolumes euasissent. Post requiritur, vt aeger non speret solum, verum etiam *confidat*, **) fore, vt is, cui salutis suae curam concredidit, per artis medicinalis ministeria omnem vim vitae illatam depellat. Attamen equidem aegros malim, quibus illud ARISTOTELIS ***) in ore est, *ne me cures vel vt bubulcum, vel vt fossorem; Sed prius causam edissere. Sic enim facili me persuasione morigerum reddideris, quam*

B 2

qui

*) CLAUDIAN. In Eutrop. L. II. II. sequ.

**) conf. IO. FRID. DE PRE Diff. de confidentia in medicum, Erf. 1720.

***) Ap. AELIAN, Var. Hist. IX, 23. p. 171, ed. SCHEFF.

qui temere fidunt. Illi ob persuasionem facile sanantur, reliquis, quia huc illuc vagantur, et cuius se medicum professio credunt, non item. Quisquis vero et hominum mores nouit, et perturbationum animi vim, vel me non monente, intelliget, quantum hoc monitum valeat ad pristinam valetudinem redintegrandam. In quo (fatebor enim) falluntur haud raro aegri, quia, quibus notis medicus verus a spurio internosci debeat, ignorant, et hominem quatuor, e biuio et tabernis progressum, Aesculapium esse putant, quem potius simiam appelles; interim falsis his ducibus dum credunt, minus forte periclitantur, quam qui *medicum* sibi *inensum* vel quouis malorum genere affectum vocari iubent. Etsi enim religioni mihi duco, cum auctore HIPPOCRATICO *) dicere, *fas mihi non est, barbaros homines a morbis liberare, qui hostes sunt Graecorum*; tamen malim aeger *medicum* amicum vocet, quam *inimicum*. Neuter ad spectum facile ferre potest, nec is, qui iniuria affectus, nec qui affectus est. Ille, futurorum nescius, vnaque in mortis limite positus, et de vita metuit, et hostis conspectum veretur ob iniuriae illatae memoriam; hic vero, quem horrida mortis imago non terret, non aegri eiulatus, quia homo est, et humani nihil a se alienum esse putat, vel inuitus sub ingressu ad talem aegrum motus animi persentiscitur, perturbatur, haeret, et hinc facile errare ac labi potest. Imo vero per experientiam, optimam rerum magistram, edocti scimus, aegros, quos animi aegritudo tenet, non facile seruari, ideoque medici est providere, ne, dum prodesse debet, obfuisse perhibeatur. Quare vbi
plures

*) Epist. p. 300. T. II, conf. KÄBE Diss. de HIPP. barbaris operam negante, Lips. 1722.

plures in vrbe sunt medici, hos adeundos putem; Sin minus, tunc demum satius est, pectore bene munito accedere, quam ciuem ob inimicitias temere deserere vel conclamatum relinquere. Tunc ego amicis iucundus *), inimicis mitis et facilis, exorabor ante, quam roger, honestis precibus occurram. Quarto fieri non potest, vt quis euadat, nisi imperanti medico morem gerat. Id quod eo magis facturum censeo, quo perspectius habet, huic inesse miram doctrinae ingenique vim, eaque omnia artis praesidia, quibus salus hominum potest et conseruari integra, et amissa restitui. Quod dum facit, nullo modo audiet pestilens illud et perditissimum hominum genus, qui absentes epistoliis in metum ac terrorem coniiciunt, praesentes sedulo inter conuiuandum, potandum et salrandum monent, ne cui medico credant, qui sibi displicet i. e. non adulatur, non vagos plebeculae rumusculos aucupatur, non, nisi risu excipit magistelli machinas fraudesque pias, quae quia sub specie religionis fiunt, pessimae censendae sunt, rel. Neque vero ferendi aegri sunt, qui cum medicis de cibo, potu, medicamentis, paciscuntur, quasi quaeratur **), quid medico liceat, non, quid aegro salutare sit. His demum praesidiis, fortunam iuuantibus, vbi superaccedunt opes, ad comparanda *medicamenta bona*, quae vel magni constant, eaque copia exhibenda, quam morbi conditio requirit, dubitandum nullo modo est, salutem aegri, modo reliqua consentiant, desperandam non esse. Nam sub hac rerum externarum conspiratione medicum doctum fore longe fortunatissimum, quis est, qui neget?

B 3

§. VI.

*) SENEC. De Vit. Beat. C. 20. p. 359. *Lib. de tranquillitate animi***) Sic CELS. De Medic. II, 16. p. 92. *De morbo acuto*

§. VI.

Fac vero, sine his aegrum iam conclamatum e mortis faucibus eripi salutique docta arte reddi, nonne hic demum medicus fortunatus dicendus habendusque erit? Etsi enim, ut praeclare CELSVS *) , est prudentis hominis, primum, eum, qui seruari non potest, non attingere, nec subire speciem eius, ut occisi, quem sors ipsius interemit: deinde ubi grauis metus, sine certa tamen desperatione, est, indicare necessariis periclitantis, in difficili rem esse, ne, si victa ars malo fuerit, vel ignorasse, vel fefellisse videatur: tamen quia vita haud raro quasi intus delitescit, et arte resuscitari potest, audendum est atque conandum, numquid ars, medicina, assiduitas, audacia prudensque temeritas valeant, quia verisimile est, fortasse responsurum id, quod quis experitur. Quid enim ad consolandum aegri animum aptius, quid ad honorem laudemque medici extollendum magis idoneum, quam quos perditos habebant piaes matres anxiique pharmacopolae, eos sibi, suis, patriae, solo artis ministerio reddidisse? Tunc, me quidem iudice, satius est, *) anceps auxilium experiri, quam nullum. Quod qui potest, non euentus casusque exoptat, non adeo eget fortuna adscititia atque volubili, non buccinatorem existimationis cucullatum vel palliatum quaerit, non pharmacopoei vel tonsoris male seduli, nec obstetricis disertae gratiam assentatiuncula quadam aucupatur, non denique Ambubaiarum collegia timet: Nam suae ipsius fortunae faber et architectus est. Osores et obtrectatores non curat, quia, quae non intelligunt, nec ex aequo iudicare

*) De Medic. V. 26. n. 1. p. 283.

*) CELS. II, 10. p. 79.

care possunt. Ex se solo et scientia pendet, non ex vulgi opinione.

§. VII.

Neque vero negligenda in medico est *prudentia*, qua quosuis sibi demereri sciat, salua dignitate, et modo se *hilarum* et *gratiosum* *), modo *facilem* vel *durum*, modo *grauem* vel *comem* cet. praebeat, prouti res et conditio aegri postulant. In quo quia multi delinquunt medici, ecquod mirum, si aut nunquam, aut certe haud facile emergunt? In hoc solo caussalacet, quare multi solent *accersi* **) ad aegros, prae aliis eligi, ad morbos benigniores vel maligniores curandos vocari, *assistere plebi*, esse a comitatu principum regumque, *contemni in iuuentute*, *emersisse in senio*, *vicissim amari ab omnibus in prima aetate*, *in patria suppressi*, *alibi manibus interpositis in altum extolli*, *vocari in declinatione morbi*, *quod multos euexit in altitudinem*, *vel vbi mortis iam imminet metus*, *quod multorum animos vrit*, *multorum conscientias etiam innocentissimas turbat*, *in magna versari fama*, *cum sis mediocriter doctus*, *opinionem hominum deprimi*, *cum sis doctissimus* cet. Quae dum fiunt, fere moribus medici, perraro doctrinae, accepta ferenda sunt, quoniam ea est hominum natura et indoles, vt malint medicos tempori inferuentes, quam iubentes i. e. praecepta sua rogando quasi minuentes ac delinientes, medicamenta, quoad eius fieri potest, varia vario aegrorum saporis accommodantes, raro vel crebro inuisentes, prouti amicorum fert opinio, tacenda,

*) conf. HIPPOCR. Dec. Ornat. §. I. p. 52. et Praecept. §. 9. p. 66.

**) V. SEMPRON. GRACCH. in Med. hui. seculi Sect. III. p. 321.

da, ut opus est, et iusiurandum Hippocrateum requirit, non temere reuelantes, femellarum ingenio blandientes, neque vero sub specie artis, more VECTII VALENTIS ET EVDEMI, debacchantes rel. In quo multa quidem (fateor) insunt, quae, salua dignitate ac auctoritate medici, fieri nec possunt, nec debent; at fiunt tamen quotidie, et multis famam opesque pariunt, et incautos ad similia impellunt. Quos ideo monendos putamus, ne temere in haec exempla intueantur; Res enim periculi contemptusque plena est, quia quae istis artibus fama nomenque paratur, diu manere et consistere non potest; diutius, quae menti, doctrinae, moribus, debetur. His omnes omnino homines sibi deuincire posse, vera sempiternaque medici prudentis laus esto. Sed de his paullo post pluribus.

§. VIII.

Quare cum multum intersit nosse, quibus praesidiis prudentia medici boni innitatur, visum est potiora in medium proferre, ut intelligat optimus quisque, quid sperare ac poscere debeat, contra quid fugere ac abhorrere. Illa medicum decent, haec dedecent.

§. VIII.

DEVM *), vniuersi huius architectum et seruatorem, bonorumque omnium auctorem, pie *venerari* ac colere debet medicus, quia eius sub auspiciis medicinam salutiferam sperare

*) HIPPOCR. L. Dec. Ornat. §. 6. p. 55. I.

re licet, et hac sola via eorum **) calumnias refellere, qui medicis religionem inesse negant. Causas huius maledicti omnes omnino iam recensere non lubet, siue ab mala persuasione illud oriatur, qua multi se religiosos censent, ubi certis diebus statoque tempore sacris interfunt, medicos vero, quia non idem faciunt, et religionem volunt, non eius simulacra, superstitionem eiusque amantes cane peius ac angue fugiunt, negotiis distenti saepe ab officio auocantur, cuius aures facilem praebere recusant, et piaculo ducunt ex consuetudine sacra facere, atheos, naturalistas, separatistas rel. nominant; siue debeat intempestivae quorundam superbiae, qui ubi se sperni sentiunt, religionis auctoritatem adhibent, ut habeant, qua illatam iniuriam ulcisci possint; siue tandem a peruersa iudicandi licentia profiscatur, qua sibi et aliis persuadere cupiunt, non, nisi eos medicos felices fortunatosque futuros, qui christiani nomine, non resunt, et se tales praestant, quales boni illi viri omnes esse volunt. His aliisque nugis attendere nefas puto. Nam etsi facile largiar, religionem christianorum, ut praestantior ceteris est et aptissima ad bona praesentia ac futura reportanda, ita multum salutis civium aegrorum prospicere posse; tamen quia certum mihi est atque persuasum, in medicina proxime spectandam esse doctrinam ingeniique vim, non miraculosam diuinitatis potestatem, mirari profecto subit, quid sit, quod multi etiamnum civibus auctores suasoresque sint, ut sibi medicum potissimum

C

**) v. nostr. *Gedanken von der Arzn. und den Aerzten* c. 15. p. 625. sequ. EL. FR. HEISTERI *Apologia pro medicis*, Amst. 1736. et praeceteris Ill. TRILLERVS in praeclearo libro; *Apologia pro HIPPOCRATE falso aibeisni accusato*, Rudolst. 1719.

tissimum eligant, qui, etsi opificium atque saponem redolet, et ob ignorantiam niger est, tamen se pium simulat; quasi vero quis P. CORNELIVM SCIPIONEM*) imitatus, sub specie pietatis, rigida et obstipa ceruice, adducto vultu et fronte caperata, supercilio contracto, gressu et sermone tardo, alios impune fallere, et, quod non habet, hac fraude vsus dare possit, hac laude ementita, falsa errorisque plena aegros curare. Memini enim me videre tales medicos, qui sibi verbosis religionis strophis famam acquirebant, nec vlla artis prudentia, sed stupore vulgi facti erant nobiles; In quos cum curatius inquirerem, eos inueni omnium omnino impostorum pessimos, qui crumenas emungebant, sanitatem non restituebant; Contra memini, alios, qui nec praeiudiciorum vanitati, nec superstitioni concedebant, dextre et ex artis praeceptis, sine sacrorum nominum numinisque contemptu, aegros resuscitasse. Quod si verum est, felicem fore medicum, christianus talis sit, nec ne, modo artem, et quae artis sunt, bene sciat atque loco apto adhibeat, consequens est et consentaneum, ut tandem aliquando desinamus sic religionem profanare, et istis e plebe medicis credere, qui *specie salutarum irrepunt, veluti altiore sanctioreque medicinam pollicentes, et blandissimis desideratissimisque promissis addunt vires religionis, ad quas maxime etiamnum caligat humanum genus**).* Sunt enim et isti homines omnium longe vilissimi, et ii, qui tales rudi plebeculae impense commendare audent, ridiculi
meri-

*) V. LIV. Hist. XXVI. 18. p. 25. seq. T. II. ed. Ern.

**) Sic praeclare PLIN. Hist. Nat. XXX. I. p. 537. seq. ed. Basil.

meritorum aestimatores. Nam minus crederent *), quae ad salutem suam pertinent, si intelligerent.

§. X.

Alterum, quod in medico desideramus, est, esse eum moribus integris, quoad eius per humanae mentis imbecillitatem fieri potest. Nihil enim morum modestia commendabilius, nihil antiquius, esse iis debet, qui medicinam faciunt, quippe quotidie licet homines cuiusque generis, aetatis, sexus, ordinis, visere, inspicere, quid intus agatur, curare corporum vicia et morbos earum partium, quas natura occultari et ab omnium oculis remoueri voluit, ideoque et licentius, ac fas est, agere. Quam facilis male morato medico peccandi occasio! Qua de re bene Cuius Senex **): *Maxime ad opinionem ac auctoritatem comparandam conducit, bonis ac honestis moribus praeditum esse. Nam cum talis fuerit, omnibus venerandus ac humanus iudicabitur.* Prae ceteris vero videat, ne qua cui fiat iniuria, ne scelerum multitudine notatus atque insignis sit, nec aleatorum et nepotum collega, ne se deliciis et cupediis soluat, et delicatorem cibum appetat, mille condituras, quibus auiditas excitetur, boletos, garum, ostrea, aestiuam niuem cet., nec vino indulgeat, quo arterias cadentes fulcire licet, non distendere, et omnium minime, vaga venere delectetur, vel alienas mulierculas concupiscat, quoniam turpe est medico, si qui ei maritus bonusue vir hanc maculam sempiternam inurere possit. Et-

C 2

enim

*) Ib. xxix. r. p. 525.

**) L. De Medico §. I. p. 44.

enim non exigua commercia *) aegris cum medico sunt. Se ipsos medicis subditos faciunt, et omni hora vxoribus, virginibus et opibus maximi pretii illi occurrunt. Continenter igitur ad omnia haec se habere debet. Quamobrem cum legibus constitutum sit, vt, si quis virginem vel feminam nolentem et inuitam vi comprimat, poenam luat grauissimam, quantum demum putatis poenam medicos manere debere, qui sub specie artis et amicitiae fallunt, et matronarum pudicitiam prostrernere student, Lucretias in Messalinas transformare? Tales medicos litteratos nemo prudens curat, sed fugit; latentem in herba anguem quisque timet, et vxor ac filia vt viuuant innocuae atque intemeratae, praeoptat. Nam medicos solos, quibus tantum hominem occidisse impunitas summa est **), hoc impune facere posse, et sub priuilegiis suis comprehendere, quis est, qui credat? Accedat et illud necesse est, vt *uerecundiam* et re, et verbis sectentur, praesertim si de naturalibus sermo est, atque dum foediora et indecora verba adhibenda sunt, simul et pudorem, et artis praecepta seruent.

§. XI.

Cogitanti mihi praeter haec et memoria CICERONIS et QUINCTILIANI ***) decretum repetenti, oratorem perfectum esse non posse, nisi *virum bonum*, non male egisse videbor, si hoc ipsum de medico censeam. Siue enim spectes vitae genus, quod ab infinito labore non abhorret; siue artis formam et habitum, quae eum infirmorum lectulis quasi affi-

xum

*) HIPP. L. c. p. 45.

*) PLIN. l. et p. cit.

***) Instit. Orat. I. in Prooem. p. m. 3.

xum tenet; siue quotidianam consuetudinem et familiaritatem, quae vtrique et medico, et aegro, intercedat necesse est; siue denique crebram nocendi fallendique opportunitatem, verus perfectusque medicus qui dici cogitariue potest, nisi vir bonus? Quae animorum corporumque securitas sperari, qui veneficiorum abhorrens vsus exspectari, nisi talis mentis conformatio, aequi amor et omnis rectae honestaeque vitae ratio praesit? Sine his mehercle nusquam tuta fides, nusquam secura medicina est. Quam animi propensionem, qua cuius bene volumus et operam damus, ut sine ambitione verum cum scrutemur, tum sequamur, ubi medico inesse senseris, omnem abiice metum; Salua res et integra vita est, modo reliqua non desint. Nam cum *in hac arte* *) *medicinali sola euenit, ut cuicumque, medicum se professo, statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio maius; nulla praeterea lex est, quae puniat insecitiam capitalem, (inuerecundiam, morum immodestiam, auri sacram famem rel.) nullum exemplum vindictae; tandem multi discunt periculis ciuium, et experimenta per mortes agunt, hoc vnum in votis esse debet, ut ii, quibus ex principum voluntate ac auctoritate licet doctoris nomen honoresque conferre, non, nisi merenti faueant, bene memores clausulae principalis; Conscientias vestras oneramus!* et quantum pretii rem esse vitam salutemque hominum existiment. In ceteris enim doctrinis, si qui ignari artis sunt, quam profitentur, vel mentis improbae, opus non adeo plenum periculosaе aleae est. Nam aut breuiter tales esse probant, quales prudentior quisque dudum

C 3

prae-

*) FLIN. l. et p. cit. conf. HIPP. De Leg. §. I. 40. sequ. l.

praesenserat, et negliguntur illico, aut certe opibus facile perituris iterumque comparandis insidiantur; a medicis autem indoctis, quia *fama* *) *quidem et nomine multi, re autem et opere valde pauci* sunt, si quid delinquitur vel ob inscientiam, vel negligentiam, vel quaeuis audendi licentiam, sanitas hominum labefactatur, vita tollitur, cuius, pater, maritus, vxor, iugulantur, liberique moerentes ac lugentes in miserimum rerum statum coniiciuntur. Quod ne fiat identidem, prouidendum est, vt, quoad eius licet, improbos talium medicorum conatus inhibeamus, et, nisi eradicare funditus et e societate tollere eos possimus, certe magno animo spernamus, ideoque si qui iis sensus honesti bonique reliquus est, cum virtute in amicitiam redire cogamus. Medico vero bono et docto nihil praestabilius, nihil optabilius orbi dari potuisse existimo. Is enim nunquam immemor est illius apud HIPPOCRATEM **) moniti: *Σῶζε, βοηθεῖ, δεραπνευστον. Serua, iuuua, cura.*

§. XII.

Nemo vero vir probus esse potest, nisi qui vbiuis *bona fide* agit, nihilque a se vel expeti, vel committi patitur, quod religioni et bene actae vitae conscientiae aduersum esse possit. Quo in loco habendum prae ceteris censeo, vt, si cuius curam in se receperit, nihil habeat reliqui, quod non in se ipso et amicis experiretur, nihil temere vel imprudenter agat, ne quem perdidisse videatur, qui desperandus non erat; nulla
medi-

*) HIPP. De Leg. §. I. p. 41.

**) In Ep. ad DAMAGET, p. 913. seq. T. II.

medicamenta adhibeat, nisi quae bonae notae viribusque non expertia, item naturae morbi ac aegroti consentanea; reliqua vero, quae usum et experientiam, doctrinam magnam et cautionem haud leuam desiderant, non sine dilectu et prudentia; denique a *venenis*, et *abortiuis* cum maxime, abstinere, partim quia nullum scelus tam foedum et inhumanum est, quam teneros foetus conuellere, et nondum natis dira venena dare, partim quia religione et iureiurando HIPPOCRATIS, quo plurimis in Germaniae academiis etiamnum adstringuntur recens creati doctores, perfecte repugnat, et famae maculam aeternam adspersit. *Ceterum quod ad aegros sanandos pertinet*, inquit diuinus senex *) *dieta[m] ipsis constituam pro facultate et iudicio meo commodam, omneque detrimentum et iniuriam ab eis prohibebo. Neque vero nullius preces apud me adeo validae fuerint, ut cuipiam venenum sim propinaturus, neque etiam ad hanc rem consilium dabo. Similiter autem neque mulieri talum vulvae subdititium ad corrumpendum conceptum vel foetum dabo, sed sancte vitam et artem meam conseruabo.* Iam vero non attinet disputare, vtrum dentur eiusmodi medicamenta vere abortiua, nec ne: Nam cum hoc cogitare scelus sit, quo nullum aliud maius, tum vel maxime crimen est capitale, si a medico eo consilio dentur, ut foetus in utero necatus pereat. Qui ciuem occidit, siue nascendum, siue natum, homicida esto, et si hoc temerario ausu committit medicus, quem leges custodem tutoremque publicae sanitatis et vitae esse iusserunt, tunc, me quidem iudice, omnium maleficorum maleficentissimus est.

Hinc

*) Iusur. §. 2. p. 43.

Hinc praestat non dare talia medicamenta, et vel ridiculus quibusdam ac rerum bonarum scilicet nescius videri, quam piaculum mereri, et in alieni facinoris societatem descendere. Satius est viro probo, vitam conseruasse, quam eripuisse, et malim medicum quemcunque *aequalem ac parem verbis vitam agere atque ita viuere, ut omnis ratio verbis consonet.* Praeter haec fidum medicum oportet *neque recentiores viros *) in his fraudare, quae vel reppererunt, vel recte secuti sunt, et tamen ea, quae apud antiquiores aliquos posita sunt, auctoribus suis reddere.*

§. XIII.

Porro summa medici laus est et artis commendatio, *tacenda conticuisse.* Quae virtus vt in omni vita omnique vitae genere pernecessaria est, ad animi tranquillitatem, et multum valet ad studia suo optimo cuique probanda et commendanda, quia in hac rerum vniuersitate multa eueniunt, quae etsi turpia vel flagitiosa per se non sunt, tamen aperte ac palam fieri vel dici mea interest, ne in reprehensionem vulgi incurram, ita maximi habendum censeo medicum *tacentem* quem rerum necessitas malorumque grauitas saepenumero voluntatis interpretem, actionum testem, rerum obeundarum actorem et comitem, denique amicum fidum esse volunt. Haec etiam, vt fere omnia, perbene diuinus HIPPOCRATES **): *Quaecunque inter curandum videro aut audiero, immo etiam ad medicandum non adhibitus, in communi hominum vita cognouero, ea, siquidem efferre non contulerit, tacebo,*

*) Sic. CELS. De Medic. II. 14. p. 88.

**) L. cit. §. 3. P. 43.

tacebo, et, tanquam arcana, apud me continebo. Hoc vero iurisiurandi vinculum, quo nullum aliud ad adstringendam fidem arctius esse maiores voluerunt, solui non potest, nisi legum vis et auctoritas, (id quod perraro incidit) vel male sana aegrorum mens et impudentia, vel proprium medici nomen ac fama, publicam morbi confessionem desiderant: omnium vero *minime loquacem* eum esse oportet, si qua labes grauis hominem tenet, v. c. epilepsia, aut in naturalibus vel reliquo corpore vitium tetrum et adspectu vel opinione foedum insidet v. c. nymphomania, fluor albus, gonorrhoea, lues venera cet. Quae mala, quia ex opinione hominum periculosissima et turpissima habentur, aegri vero famam proscindunt, et maleuolorum conuiciis exponunt, intelligitur, medicum haec corporis vitia habere debere tacite, nec plenum rimarum esse, et hac atque illac persuere. Taciturnitas enim mea molesta est nemini, sed commoda aegro; quidni ergo illud faciam, quo omnes omnino homines mihi deuincire ac obligare possim? Quidni celanda celem, et curiosus, ac fas et opus est, in labem alienam inquirenti fucum ac verba dem, morbum alium alii quasi surrogando? Quidni ego fluorem album malignum benignum, scabiem et phthisin venereum simpliciter appellem, tumidas podicis mariscas et condylomata vuluae pro acrimonia cet. venditem? Hac equidem via et ratione femellas delicatulas iuuenesque animum despondentes, vbi post voluptatem talia vitia efflorescere viderant, persanasse me candidus profiteor, et saepenumero dum apud aegros de vero morbi nomine et causa filii, ne qua in re aut eos offendisse, aut iis, qui ante me curam

D

habue-

habuerant, nocere voluisse putarer, mercurium ceteraque medicamenta, quae e re erant, bono cum commodo exhibui. Hinc satis vere NASO *):

Eximia est virtus praestare silentia rebus:
quod ut nusquam obliuiscantur medici, eaque re et famae aegrorum, et salutis suae prospiciant, optabile est.

§. XIV.

Sit vero etiam medicus *comis*, in omni sermone *affabilis* et *iucundus*, siue ut cum HIPPOCRATE **) loquar, *figuram faciei habeat meditabundam ac subtristem, non tamen amarulente. Contumax enim esse videbitur et homines odio habens. Qui vero in risum exsolutus est, ac nimium hilaris, onerosus iudicatur.* Aegri enim, quia misere affliguntur et morbi vim cruciatusque experiuntur, animum hastamque deponunt, senibus haud raro morosiores et bibonibus intemperantiores sunt, omnia timent, nusquam salutem integram esse putant; Hos comiter compellere, non increpare, blanditer consolari et erigere, non contumeliis miseras augere, tandem suadendo, monendo, hortando, id, quod factu opus est, exigere: his spem atque fiduciam indere, aerumnas animi atque molestias corporis tollere, certe imminuere, *futura*, quoad eius fieri potest, *celare* decet, ne ob imprudentiam medici omnia in peius ruant et fatum acceleretur. Quo solo et medici probi ac gratiosi officio satisfit, et dignitati artis consulitur. Interea rerum videndum est medico, ne quid nimis, neque *cum imperitis multa fabuletur, sed necessaria* **), Multos enim
noui,

*) De Arte Amand. II. v. 603.

**) L. De Med. §. I. p. 45.

***) HIPPOCR. L. Dec. Ornat. §. 7, p. 56.

noui, qui dum aegris eorumque amicis placere vellent, tempus *confabulando* triuerunt, more balneatorum et capillaturae structorum fabulas vr̄bis hinc inde deportarunt, et ad seruilis artis ministeria se paratissimos ostenderunt. Hos vero, modo ingenia et mores hominum noui, vel ii ipsi, quibus inferuire cupiunt, iure suo spernunt, et nauci pendunt. Qua de re cum modus in rebus sit, media via incedere optimum est. Officiosus in *) homines medicus sit, et aliqua cum mansuetudine ac gratia quosque sibi obligare studeat, sicubi sibi bene esse volunt, medentisque operam et studium rite aestimare sciunt: Sin minus, ab officio abstinere praestat, ne forte verissimum dicere cogatur illud PHAEDRI *):

*Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat; primum quoniam indignos adiuuat,
Impune abire deinde quia iam non potest.*

Sit medicus *impiger* atque *indefessus*, si operam non irritam et aegros obsequiosos fore praeuideat. Sin vero alio tempore eos tam absurdos ac stultos deprehenderit, vt solo medici adspectu curari se posse putent, medicamentis non opus esse, eaque vel scriniis dant, non ventri, vel formulas et iustum usum negligunt, sine mora *discedendum* est, ne pompam funeris seruiliter ducere velle videaris, et mortui laudes vel e suggestu sacro speciosiores reddere.

D 2

§. XV.

*) V. IAC. THOMASII Disp. De med. facultate, quatenus gratiosa, Schneeb. 1734. et IO. PAUL. FINCKE, Disquis. cur ordo medicorum gratiosus dicatur, Lubec, 1741.

**) Fab. 8. L. I. p. m. 5,

§. XV.

Ex his sequitur, vt medicus sciat in tempore esse *miseri-*
cors atque *durus*. Crimini vertitur duci, qui dum pugnan-
 dum est acriter, cunctando rem perdit, quidni et medico?
 Etenim in arte facienda multa incidunt, quae animum ad
 quasuis res compositum et obfirmatum requirunt, vbi non tre-
 pidandum, sed agendum, non cogitandum, sed obluentan-
 dum, non parcendum, sed laedendum acribus, cultro, fla-
 gellis, virgis, est, si aegrum seruari velis. Tunc, bene mo-
 nente CELSO *), medicus similiter, vt chirurgus, sit *animo*
intrepidus, immisericors, sic, vt sanari velit eum, quem
accepit, non vt clamore eius motus, vel magis, quam res de-
siderat, properet, vel minus, quam necesse est, secet, sed per-
inde faciat omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus
oriatur. Pessima, vt mihi videtur, misericordia est, si qui
 voluntati aegri et mollitiei temere indulget, cutim lacerare vel
 membra incidere nefas et carnificinam credit, sanguini parcat,
 quia facile deliquium animae sequitur, a vesicantibus et sina-
 pismis abhorret, quia hinc magna neruis vis et sensus ingra-
 tus infertur, medicamenta terrea, quibus ne leuissima qui-
 dem salium vel extracti amari portio inmista est, vt gulae
 blandiatur, impudenter exhibet et pleno ore commendat,
 cuius morborum symptomati, dolori capitis, ardori, frigo-
 ri, siti rel. mederi gestit, quia is, qui aegrotat, desiderat,
 nulla mali primarii ratione habita rel. Talem equidem virum
 medi-

*) De Medic. VII. Praef. p. 406. ed. Lips. conf. STENTZEL Diss. de
 medico minus duro omnium durissimo, Viteb. 1745. et CL. PLAZ de
 medico audace, Lips. 1766.

medicum bonum et probum esse nego et pernego, quia id, quod factu opus est, negligit, nihil detrahit, vbi detrahendum erat; in summa, spectator est, non actor. Contra nec quorundam *licentiam* laudare ausim, qui, dum quiete opus est, omnia turbant ac miscent, fecant, vrunt, vexant, dolore, vigiliis, inedia, fame, vomitu, pharmacis et id genus aliis medicinis homines miseros cruciant, macerant, enecant, eoque crudelitatis genere mire delectant. Quasi vero haec demum vera et efficax medicina sit! Equidem laudarem eum, qui sub auctore HIPPOCRATE *) *fide magis, quam duritie medetur*, et loco commodo, et medicamentis aptis vim cum facere, tum frangere nouit. Hanc enim viam et rationem prudenter ingressus iuuabit multos, violabit neminem.

§. XVI.

A comicis prae ceteris ridentur, qui omnia ad *utilitatem* referunt, ad conscientiam aut parum, aut nihil. Neque vero iniuria. Nam ea conditione nati procrearique sumus, vt societatem vitae et officiorum, qua nihil ad salutem maius, nihil ad suauitatem accommodatius, cum aliis coeamus, neque fictis sermonibus, falsis criminibus sordidaque auaritia efficiamus, vt aut in solitudinem ac siluas discedendum esse videatur, aut omnibus, quoniam ad rem attentiores sumus, risui ac odio exponamur. At vero *natura solitarium nihil amat **)*, *semperque ad aliquod, tanquam ad miniculum, an-*

D 3

que

*) Praecept. §. 4. p. 62.

**) Cic. de Amicit. c. 23.

que sociale animal esse voluit. Quae vero vitae suauitas et socialitas cogitari, quae amicitiae foedera fieri possunt, ubi alter alterum laedere non dubitat, data quauis bona eripiendi occasione? Quae religionis, humanitatis, iurisiurandi, integritatis morum, vis atque potestas in eum futura est, cui odor bonus ex re qualibet est? Hic patriam prodere, iura sacra et ciuilia violare, pudicitiam vxoris et filiae, linguam, manum, calamum, venalem habere, vsuras multiplicare, et omnem legum vim eludere non verebitur, modo auri sacram famem exsatiare possit. Quae mentis aegritudo et pestis capitalis vt singulos homines male notat quasque infames reddit, ita vel maxime dedecet *medicum*, quem leges sanitatem publicam conseruare ac restituere iubent, quemque iusiurandum Hippocrateum eo adigit, vt diuitem ac pauperem aequae curet, sine vlla spe praemii, et diem se perdidisse dicat, quoties de ciuibus bene mereri non licuit. Sed consideranti mihi medicorum plurimorum mores, perbeati fuisse videntur veteres, quibus Coi senis *) effatum sacrum erat. *Omnia, quae ad sapientiam requiruntur, insunt in medicina, argenti contemptus, reuerentia, verecundia, habitus submissus, auctoritas, iudicium, quies, comitas et affabilitas, munditia, doctrina, cognitio ad vitam vtilium ac necessariorum purificationum, alienitas a mercimoniis et superstitione, praeeminentia diuina. Habent enim, quaecunque habent, ad coercendam intemperantiam, inscitiam, auaritiam, concupiscentiam, rapinasque ac impudentiam. Multi habent rempublicam quaestui, nec pedem porta efferunt, nisi prius de mercede constet.*

*) De Dec. Ornat. §. 5. p. 55.

stet. Quam si propositam oculis cernunt, vilissimo cuique seruiunt, et vel abiectionissima ministeria obeunt. Fama est, HELWIGIVM, haud ignobilem quondam apud Vratislavienses medicum, at ex asse respondentem auaro PLAVTINO et SYLVIO professori, visitasse aliquando principem IACOBVM, morbo haud adeo graui aegrum. Ades, quaeso, inquit ille, et hac nocte mecum age vigilias. At medicus hoc deprecari sedulo, et multis docere, se magna aegrorum visendorum multitudine defatigatum ac senem somno, perfugio laborum et sollicitudinum, carere non posse. Quod ubi intelligit princeps, qui hominem intime nouerat, cubiculario innuit, candelabra argentea inferri et medico haesitanti dari iubet. Hic vero tanto operis caelati splendore percussus mollescere coepit, et ad nutum voluntatemque principis se totum conuertit. Arrepto dono: Ego vero faciam, inquit, quae iubes; sed maturato opus est, vt quam ocysime redeam. Et sic exiit, non curans principis iussum, quo ista munera per ministros domum deferri voluerat. Nam nec principi fidem habendam esse sordidum illud hominum genus existimat. Equis vero tales tamque abiectiones medicos magni aestimet? His, qui quaestui seruiunt, profecto medicina et animus seruilis est, et *quoniam is maior ex populo *) est, libenter amplectuntur ea praecepta, quae sedulitatem uon exigunt.* At prudentis bonique medici est, et mercedem iustam legibusque propositam quaerere, si per facultates aegri fieri possit, (cur enim auari numis parcat?) et pauperi *gratis* adesse, quia is, qui nihil habet, nihil dare potest, neque vero ob communia humanitatis ciuitatisque iura negligi et perdi debet. Hinc praeclare mo-

nente

*) V. CELS. III. 4. p. 120.

nente auctore HIPPOCRATICO *) nihil debet *impellere bonum medicum ad quaerendam suam commoditatem, sed ut magis existimationis rationem habeat. Itaque tunc melius est, ut seruatis exprobet, quam ut letaliter affectos praeconturbet cet.* Quare vellem principes salutis vitaeque civium *taxatione* laboris medici et pharmacorum melius consulerent, constituerentque praemio apto *physicos*, qui capite censos gratis curarent. Hoc enim beneficio solo et fraudes praecaueri, et ciues saluos ac incolumes conseruari neesse est.

§. XVII.

Sed omnium maxime *dignitatis auctoritatisque* ratio habenda est: qua semel amissa, medicus verus nemo esse potest. Tunc enim medicus iubet; Aegri non obsequuntur: Ordinatur; non reuerentur: Minatur; rident, sibilo excipiunt, naso excusso suspendunt: Inuisere amplius recusat; Nauci faciunt, per-suasi, eum pocula et praemia velle, non salutem. Quid ergo amplius? Habent medicum eo loco, quo parasitum, cuius assentatio faceta non videretur, nisi coenam condiret, et iocum ludumque se haberi pateretur. Medico vero, quem *contentui* habeo, quam fidem et reverentiam adhibebo? Nullam, mehercle, quoniam nihil ab homine desideres vel expectes, cui omnia sunt venalia vel aequo animo excipienda. Sed placet potiora recensere.

§. XVIII.

Princeps dignitatis munimentum et tutamentum esto, ut non, nisi *rogatus* medicus veniat. Conuiuia enim gratus et commodus fere nemo est, nisi qui inuitatus ad epulas accedit,
neque

*) Praecept. §. 4. p. 62. sequ.

neque medicus placere diu potest, qui sagacissime odoratur, sic ubi quid lucrandum est, et famam ac panem obtrectatione alienae scientiae vel insinuatione aucupatur. *Beneficium* vero *) *quod quibuslibet datur, (et obrudicatur) nulli gratum est.* Reuerentia personae non obstabit, si molestus aspectus est, quo minus eum temere irruentem procul abesse aeger iubeat, et haud raro in medico usu eueniet, quod in ministris: Qui si quando, ubi quid deliquerunt, monentur a dominis, moleste ferunt iurgia, et publice profitentur, quaesitos se esse sedulo, nec iniussos aduenisse. Tales vero dari medicos, qui malint se obrudere quouis modo et artificio, quam vocari, constat inter omnes. Sed perpaucis aegrorum, nisi dubiae sanitatis sunt, hac via sese commendant, quoniam oblata beneficia vilescunt, et sub auctore HIPPOCRATE **) *promittitudo temeraria et facilitas contemnentur, etiamsi valde commoda existant.* Quare monendi sunt medici, praesertim iuuenes, ne hisce strophis artibusque illicitis aurum et auram popularem captent: Saepe enim more canis apud PHAEDRUM ***) *amittunt merito proprium, dum alienum appetunt:* neque vero *crebrius*, ac morbus desiderat, aegros inuisant, ne aut lucelli aliquid facere velle videantur, aut iugum seruitii ferre; neque tandem *illico*, ac iussi sunt, *aduolent*, nunciosque praecurrant; Turpe enim est medico, quanta fieri potest celeritate, signo dato, ad ministeria concurrere, et magnam de se moueat suspicionem necesse est, se aegros expetere, non expeti ab iis velle. Qui tales se gerunt, quales iam commemorauimus, qui hominum mores et ingenia sint, nesciunt, quia mul-

E
torum

*) SENEC. De Benef. I. 14. p. 595.

**) L. De Medic. §. I. p. 44.

***) L. I. Fab, 4. p. m. 4.

torum ea est peruersitas, vt, dum aegrotant, aureos montes polliceantur; at vbi euaserunt, beneficii officiique immemores, hasce minutias auide arripiunt, vt, quod ogganniant, habeant. Pauci sunt, qui beneficia non numero, nec pondere, nec vlla, nisi accipientis aestimatione, pendant, et haud raro *tutius *) est, quosdam offendere, quam demeruisse.*

§. XIX.

Altera auctoritatis conseruandae lex esto, vt *clam* medico priori te induci ad aegrum ne patiaris: Hoc enim hominis mali notatique signum est ac scelus: neque *speculatores* adhibeas, quii hinc inde, tanquam excubiae dispositae, discurrant et diligenter attendant, numquid accidat, quod possint alteri vertere vitio: Hoc enim contemptum parit: neque tandem vbi **) *in subsidium* priori medico voceris, animo laedendi, obiurgandi, contra dicendi, risum mouendi, viam et rationem medendi, quam secutus est, carpendi rel. accedas, sed vt ei, qui inuitari iussit, bona fide profis, ideoque, seposito omni partium contentionisque studio, verum dicas et argumentis munias, auctoritati veterani nihil detrahas, nisi sit iusto arrogantior, iunioremque praese despiciatui habeat, quasi in barba, canis et rugis sola medici praestantis vis infit; ex artis medicinalis placitis omnia peragas, non ex praeiudicatae opinionis vanitate; vno verbo, ea, quae olim adhibuisse ac suasisse non poenitebit: Nam, vt praecclare CELSVS, ***) *in medicina, etiam vbi perpetuum est, quod fieri debet,*

**) SENEC. De Benef. II. 24. p. 416.

*) HIPPOCR. Praecept. §. 7. p. 64.

**) De Medic. VII. 12. N. 4. p. 446.

debet, non tamen perpetuum est id, quod sequi conuenit. Quae si audiuntur ac probantur, praesta te bonum virum medicumque propositi tenacem; Sin minus, aut te contine, aut, quod malim, ne accede amplius, ne artem ipsam aliorum risui exponas. Vitandae enim sunt illae circa aegros *) miserae sententiarum concertationes, nullo idem censente, ne videatur accessio alterius, et omnis danda est opera, ne verissima sit illa infelicis monumenti inscriptio **), turba quemquam medicorum perisse, et MARTIALIS ***) dictum audiendum:

Quid tibi cum medicis? Dimitte Machaonas omnes.

Rara est (turpe dictu!) medicorum concordia, verum in eos illud valet HESIODEVM ****):

Figulus figulo succenset, et fabro faber,

Et mendicus mendico inuidet, cantorque cantori,

idque non fit per artem coniecturalem, vt multis videtur, sed per medicorum mores et ingenia, qui sibi, non aliis, bene cupiunt. Quae vero mala, contentiones, digladiationes acres, turpia capillamenti defluuia, vox rauca, apoplexiae metus, inuidiae, odia, calumniae, tanquam e fonte peremni, dimanarint et etiamnum dimanent, dici vix potest: vnde summa medicinae ipsi iniusta nota est. Neque mirum est, medicos, dum talia faciunt, qualia e plebe quisque, ridiculos videri, et sperni, et saepe illud Horatianum *) audiri:

Odi profanum vulgus et arceo.

E 2

Is

*) PLIN. XXIX. I. p. 525.

**) Ibid.

***) Epigr. 16. L. II.

****) v. Oper. et Dies L. I. v. 25. sequ.

*) Carm. L. III. Od. I. v. I.

Is enim, qui prudens et sanae mentis est, non medicum disertum, sed agentem *) desiderat.

§. XX.

Turpe etiam est medico, tum eorum, qui et bene valent, et suae spontis sunt, tum vel maxime aegrorum, benevolentiam blanditiis et *assentationibus* colligere, et quouis modo se in consuetudinem ac usum immergere, *molliter**)* et *blande aegris corporibus, non, qua optimum et celerrimum est, mederi, sed qua licet; se gnathonum similem ostendere, et ad cuiusvis hominis, loco, fortuna, fama, superioris, non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum conuerti.* Haec enim hominem abiectae mentis, leuem et fallacem, nec non lucelli studiosum prodit, et indignum vitae necisque imperatore est, seruire aliorum cupiditatibus, ut, quod adulatione ac blanditia eripere possit, facilius consequatur. Non opus tanto molimine est. *Parabile est, quod natura desiderat***)* et *appositum; ad superuacua sudatur. — Ad manum est, quod satis est.* Estne ergo eundem medico hac via regia, quam plurimi ingrediuntur? Non putarim. Et enim non adulando, sed faciendo et bene promerendo, sed doctrinam proferendo, sed usum et experientiam manifestando, ad gloriam nominis sempiternam enitendum est. Sapiens vero et sibi constans medicus non curat *fauorem popularem, ****)*, qui *malis artibus quaeritur, quia se similem illis faciat oportet, et vere profitetur, numquam vo-*

lui

*) conf. LUCIAN. in Hippiâ p. m. 741. T. II.

***) SENEC. De Constant. Sap. c. I. p. 249. I.

****) SENEC. Ep. 4 p. II. T. II.

*****) SENEC. Ep. 29. p. 94. II.

hui populo placere: Nam quae ego scio, non probat populus: Quae probat populus, ego nescio. Contra omnis opera danda est, ut malim mihi placere, quam populo, ut aestimem iudicia, non numerem rel. Hinc ex fide ac arte omnia peragenda sunt, non ex assensione temeraria, et vere statuit Illustr. TRILLERVS *), probi medici esse, conseruare potius, quam immutare naturam, et artem ipsam profanare.

§. XXI.

Neque vero ferendae aequo animo sunt hominum male moratorum iniuriae iocique putidi, quia audiri ac excipi, saluo medici honore, non possunt. Quae enim reuerentia, qui honos, ei habendus est, qui vietis vel calamistratis facetiis seipsam ridiculum fieri et in contemtionem adduci patitur? Innumerae molestiae deuorandae medico sunt, quae ab officio non licet seiungere; Num nouae temere subeundae? Num potentiorum **) iniuriae hilari vultu patienter ferendae? Facient iterum, si se fecisse crediderint. Paucorum est, omnium minime medici, iniurias accipere et gratias agere. Quare aut dignitas integra seruari debet, vim vi repellendo, et conuicia, quanta fieri potest humanitate, refellendo, aut locus deserui, si ratio personae habenda est, quia scurram quaerunt, non medicum. Nam qui peccare se nescit ***) , corrigi non vult, et irrita opera omnis est. Tunc malim solus, quam cum risoribus esse, ac quaestuofam mercaturam facere. Nec

E 3

femina,

*) Progr. De probi med. officio in conseru. potius, quam immutanda natura, Viteb. 1772.

**) SENEC. De Ira II. 33. p. 54. I.

***) SENEC. Ep. 18. p. 93.

femina, nec medicina vendibilis viro bono placet, neque ego amo satyras, quae culinam, opificium, oleum vel tabernas lucratiuas olent. Has iis relinquo, quibus sanum sinciput non est.

§. XXII.

Restat pessimum medicorum genus, quod dum reputo, an pro his habendi sint, haereo. Eos vero puto, qui quiduis audendi et faciendi copiam habere se credunt, ut famam et numos adipiscantur, et *seruilia ministeria* obire non dubitant. Sunt hoc ex genere (puto), quouis mane domicilia diuitum inuisere, cubicula femellarum inire, non ut current corpora, sed manus pedesque basient, vel ungues eleganter, si dis placet, purgent ac praesecent, fores hominum delicatulorum sibi que placentium mirifice pulsare, ut per officiose moneant, instare tempus sanguinis mittendi vel pharmaci menstrui, nasutulis ancillis affatim adblandiri, ut dominae impensius commendent; gesticulatorio cultu uti, ut placeant; iis, qui excelsiori loco constituti vel bene numati sunt, sputa curiosius detergere, cucurbitas admouere et lotiones ventris dare, varos, lenticulas et ephelidas curare, puerorum ulcera manantia, achores, fauos, tineas, superinungere ac pectine purgare sedulo, ut matribus gratos se faciant cet. Haec et id genus alia molienti medico comes et socius esse recusat optimus quisque: Nam qui se ipsum contemnit, dignus est, qui male apud bonos audiat, et seruorum de grege existimetur. Interim hoc animi vitium iis prae ceteris inesse memini, qui in alios, tanquam exempla, intuiti, malo suo genio indulserunt, atque e tonsoribus et balneatoribus medicos sese effin-

effinxerunt. Hi enim crimen turpitudinis subire facile possunt, siquidem *leuia ingenia* *), *quia nihil habent, nihil sibi detrabunt*, et verissime huc MARTIALIS *) iocum accommodes:

Chirurgus fuerat, nunc est Vespillo Diaulus:

Coepit, quo poterat, clinicus esse modo.

Ne quid vero detrimenti res publica medicorum exinde capiat, ii videant, quibus per priuilegia principum ius fasque est, tales homunculos eo, vnde progressi imprudenter erant i. e. in constrinam et balnearia relegandi. Etenim ob ignorantiam et turpia facinora, et arti suae sunt dedecori, et sibi quam maxime oneri.

§. XXIII.

Tandem vero res non heri ac nudius tertius, sed inde a prisca temporibus eo rediit, vt, praeunte verbis LONICERO,

Fingant se medicos doctos, idiota, sacerdos,

Iudaeus, monachus, histrio, rasor, anus,

Miles, mercator, cerdo, nutrix et arator:

Decoctor, Lamia et pharmacopola, magus.

et *charlataneria* ita peruasit medicorum animos, vt non desint *), qui iis eam propriam et domesticam quasi esse putent, et sub auctore COTTA **) *mirabile videri dicant, quod non rideat medicus, cum medicum viderit: hoc mirabilius, quod inter se risum tenere possint.*

Pudet me pigetque publice profiteri, quosdam, etsi
artis

*) CELS. De Medic. VIII. 4. p. 515.

*) L. I. Epigr. 87. et 104.

*) V. MENCKEN Charlat. Orat. II. p. 206. vers. germ. IVCH. Diss. De charlataneria medica, Erford. 1747.

**) Ap. CIC. De Nat. Deor. I. 26.

omnium disciplinarum rudes, plebi fucum offundere, audacter vrere, secare, curare et tollere e medio, apud imperitos et artis expertes famam nomenque quaerere, circensi pompa et oratoria priuilegiorum titulorumque declamatione gesticulari vt phalerati *σφραγιδονυχαργοκομηται* solent, medicamenta vniuersalia et specifica, arcana, sympathetica, magnetica, electrica, panaceas, crepare, inutilia magni venditare, per figilla, characteres, vocabula et formulas sacras, quibus nulla subiecta est notio morbos fugare velle, herbas sub certo stellarum coetu colligere, vrinas gustare, et inde signa, quae nusquam sunt, deriuare, mire se iactare ac thrafonico more sexcentas curationes effundere, innumeras pyxides et instrumentorum multitudinem ostentare, sibi videri sapientissimos et MENECRATEM arrogantem imitari, omnia habere venalia, conscientiam, pudorem, valetudinem, mortem, et quoscumque fallere, decipere, emungere, omnia denique exaggere, vt magnam de se opinionem excitent, etsi, CELSO *) iudice, *histrionis est, paruam rem attollere, quo plus praestitisse videatur* cet. Hisce enim technis et officiiis ars ipsique medici in taedium ac calumniam transire debent, et iis, quibus

De meliori luto finxit praecordia Titan,
risum ac stomachum mouere. Nec iniuria. Quis enim tam stultus ac credulus est, vt hanc impudentissimorum hominum vaniloquentiam patienter ferat? Rideantur ergo, sibilo excipiantur, eiiciantur e bonorum societate ac contubernio, et nauigent Anticyras, si qua salutis spes superest.

§. XXIV.

Perspectis iis, quae vberius (spero) demonstrata sunt,
mirari

*) De Medic. V. 26. n. I. p. 283.

mirari tandem aliquando desinamus, quid sit, quod plurimos medicorum fortunatos putare non liceat. Nam cum sine litteris et prudentia medicinam facere conantur, consequens est ac consentaneum, ut in perarduo isto negotio identidem offendant, et fata hominum accersant, non auertant. Ciuum vero est, tales bonos viros deuitare, et sibi suisque melius, ac solent, consulere.

§. XXV.

Plura dicenda forent, quae medicum commendatoris famae faciunt, puta, *bona ac carnosae corporis habitudine* *) *praeditum esse, quia vulgus existimat, eos, qui non sic bene dispositum corpus habent, neque aliis bene prospicere posse; vestitu* **) *decoro esse: nam hic animi proditor esse solet: unguentis odoratis non diffluere, quia, ut recte poeta, non bene olet* ***), *qui bene semper olet, et aegris officit rel.* Sed temporis scriptio- nisque academicae angustiis prohibeor, quo minus singula percenseam, ideoque auctor suatorque fuerim medicis, ut nec in hac re, si per valetudinem et dignitatem fieri possit, commodis suis officiant ac obstant, vel in odium offensionemque populi cadant. Nam quo magis doctrina, prudentia, officio non simulato, gratia, fide bona, de ciuibus bene promereri conabuntur, eo minus iis bonas felicitates omnes aduersas fore arbitror.

F

THESES

*) Sic HIPPOCRATES. L. De Medic. §. L. p. 44.

**) HIPPOCRATES. L. Decent. Ornat. §. 2. p. 53.

***) MARTIALIS. L. II. Epigr. 12. conf. HIPPOCRATES. Praecept. §. 9. p. 65.



THESES MEDICAE

- I. Irritabilitas Halleriana est princeps vitae animalis causa et origo.
- II. Omnis hypothesis, quoad eius fieri potest, vitari debet in physiologia, cum maxime in pathologia et therapia.
- III. Omnis febris ab irritabilitate dimanat.
- IV. Pathologia animata, quoad aetiologiam, nulla est.
- V. Infantes in utero occidere, in quibusdam casibus licitum esto.
- VI. Nullus morbus sine suis signis est.
- VII. Medicus bonus et perfectus sine assidua scriptorum medicorum lectione nemo est.
- VIII. Infra dignitatem professoris est, ab HIPPOCRATIS veterumque medicorum lectione auditores arcere, vel principes illos indicta causa et generatim spernere.
- IX. Professoris fidi et prudentis est, in collegio clinico nihil temere dicere vel oscitanter agere, nulla medicamenta obsoleta vel inutilia commendare, nullas formulas, quae sexcentis rebus componuntur, calamo excipiendas dare, ne quid detrimenti ars medicinalis capiat.
- X. Diaeteticam negligere, nefas esto.
- XI. In morbis inueteratis, praesertim spasticis, asa faatida ceteris medicamentis longe antistat.
- XII. In lue venerea non licet semper ac ubiuis mercurium adhibere.

- I. Irritabili
et origo.
- II. Omnis h
physiologi
- III. Omnis
- IV. Patboli
- V. Infantes
- VI. Nullus
- VII. Medic
corum le
- VIII. Infra
veterum
cipes illo
- IX. Profes
temere a
leta vel
centis r
quid de
- X. Diaete
- XI. In mo
ceteris
- XII. In l
adhibere

animalis caussa
bitari debet in
therapia.
nulla est.
us licitum esto.
riptorum medi-
HIPPOCRATIS
ere, vel prin-
re.
gio clinico nihil
licamenta obs-
las, quae sex-
ndas dare, ne
is, asa faatida
huius mercurium

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue		Black
Cyan		3/Color
Green		White
Yellow		Magenta
Red		Red
Yellow		Yellow
Green		Green
Cyan		Cyan
Blue		Blue